

Tres anguli basium pyramide, Icosaedro, Octaedro, quia bases trilatera. Tria primaria corpora. Tres angulorum differentia.

Quatuor anguli & latera basis in Cubo. Quatuor solidi pyramidis anguli. Quatuor eiusdem bases.

Quinque corpora. Quinque anguli & latera in basi dodecaedrica.

Sex anguli Octaedri. Sex latera pyramidis. Sex bases cubi. Pulcher numerus.

Octo bases octaedri. Octo anguli cubi.

Duodecim bases dodecaedri. Duodecim latera Octaedri. Item & cubi. Duodecim anguli Icosaedri. Duodecim plani anguli pyramidis.

Ecce hic numerus in omnibus quinque est,

Viginti bases Icosaedri. Viginti anguli dodecaedri.

Viginti quatuor anguli, plani Octaedri & cubi. Hic alienus est numerus, sed nec praecipuae rei, nec ita alienus: est enim bis 12, ter 8, quater 6, qui omnes sunt in 60.

Triginta latera Icosaedri & Dodecaedri.

Sexaginta plani anguli dodecaedri & Icosaedri.

Prætereaque nihil numeratur, nisi summas omnium laterum & angulorum inire velimus, quod alienius est. Tum prouenient anguli denominantium basium 18. Facies 50, Anguli totidem, latera 90. Anguli plani 180. Numericognati omnes.

CAPVT XI.

De situ corporum, & origine Zodiaci.

MNFESTOS in his capitibus habeo physicos, propterea, quod naturales planetarum proprietates ex rebus immaterialibus & figuris mathematicis deduxi, porrò verò etiam ex nuda imaginatione sectionum quarundam origines circulorum inuestigare audeam. His paucis responsum volo: quod Creator Deus, cum mens sit, & quæ vult faciat, non prohibeatur: quò minus in aptandis viribus & designandis circulis ad res vel sine materia vel imaginatione constantes

stantes